



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 65. Danielis Marci Delphini Cardinalis mors & elogium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](#)

absolutis insalutato hospite Roma Pa- Sæc. XVII.  
 risios reversus, in Abbatia S. Germani A.C. 1704.  
 de Pratis die decima quinta Aprilis e-  
 menso septuagesimo quinto ætatis anno  
 decepsit, qui, si animi sinceritatem, re-  
 ligionem, vitæ continentiam cum in-  
 genii acie, rerumque gerendarum dex-  
 teritate conjunctam habuisset, nominis  
 sui famam apud posteros immortalem  
 reddidisset.

## §. LXV.

*Danielis Marci Delphini Cardinalis  
extrema.*

Hunc morte sequebatur Daniel Mar-  
 cus Delphinus ex nobilissimo Ve-  
 netorum genere ortus, qui positis stu-  
 diorum rudimentis in spem altiorum  
 prælara ingenii divinatione adolevit,  
 atque a suo Patruo Joanne celeberrimo  
 Cardinale Romam evocatus, varia obi-  
 bat munia, demum vero utriusque,  
 ut vocant, Signaturæ Referendarius,  
 Avenionensis Pro-Legatus, Damasce-  
 nus Archipræful, Pontificius in Aula  
 Gallica Nuntius, ac denique ab Inno-  
 centio XII. Cardinalis renuntiabatur.  
 Inde Romam reversus, a Papa Brixiano  
 Episcopatu auctus, ad suam Diœcesin  
 contendit, ubi etiam omnia boni Pa-  
 storis officia explens, Venetiis die

P 5                quinta

Sæc. XVII. quinta Augusti nonnisi quinquaginta  
A. C. 1704 & unum annos natus deceasit.

## §. LXVI.

*Carolus Barberinus Cardinalis fatus  
functus.*

Postremus inter Purpuratos hoc anno  
denatos erat Carolus Barberinus  
patria Romanus. Hic regnante Inno-  
centio X. communi Barbarinæ familie  
calamitati ac vexationi involutus, in  
Franciam profugere coactus est, se-  
data autem tempestate Romam rever-  
sus, præcipiti fortunæ cursu ad Pur-  
puram ab eodem Pontifice vocabatur,  
variis quoque Congregationibus præ-  
fectus: Helvetia insuper, Polonia, Lu-  
sitania & Sabaudia Barberinum apud  
Sacram Sedem sibi Patronum delegit,  
non sine magno emolumento; quippe  
Polonus & Cæsarem optatissimi ac per-  
petui fœderis nexu conjunxit, cumque  
moribus comis, munificus, liberalis,  
atque ab omni partium studio alienus  
esset, mortuo Innocentio XI. plurium  
Cardinalium suffragia in eum collima-  
bant, prævalebat tamen Gallorum  
factio, ac insuper obstabant adhuc pu-  
blica Urbani Nepotis sui vitia, vitæque  
licentia: mutata autem temporum vi-  
cissitudine post Innocentii XII. obitum  
Barbe-